



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXIII.**

30. Novembris. Pridie Cal. Decembr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45314**

re tibi Abbatialem Domus-Dei curam commiserit: quam per annos quinquaginta cum celebri sanctimonie fama administravisti. In finis instruetus est fraudibus hostis nostre salutis, quibus nostram in bono constantiam labefactet, & in vitiorum consuetudinem inducat. Tu me gemina virtute premuni: prudentia, ut ejus tela agnoscam, fortitudine, ut animosè repellam.

S. BERNARDUS, ser. i. de Adv.

Perseverare in malo, diabolicum est.

*Perseverare in malo, diabolicum est, & digni sunt perire cum illo, quicumque in similitudine ejus permanent in peccato.*



30. Novembris. Pridie Cal. Decembr.

Obijt  
anno  
1299.

**B**RUFINE, Archicoenobii Cisterciensis Abbas, & S. Ordinis Generalis XXIX. Experta est prius felix tuo regimine Filia Firmitas, quam beneclavum Maternum sis moderaturus: hunc autem præter alia virtutum decora mansuetudine ac prudentia exornasti. Has tu modò virtutes in me transfunde: utraque enim necessaria est, externam & internam pacem conservare volenti.

B. BER.

B. BERNARDE, Converse Clavallis. Habuit clarissima illa BERNARDI schola variarum virtutum magistros; in te relucebat juncta charitati humilitas: id testabaris, cum injustè accusatus ardentissimas pro delatore preces fundere soleres. Nec defuere hujus pietatis æmulatores, qui hanc vindictæ mirabilis artem imitabantur. Felicius hoc stratagema successit, dum in itinere in latrones incidens, etiam vestibus spoliatus, sine ulla significatione doloris in genua procumbens pro prædonibus DEUM, ut iis hanc condonet injuriam, precabaris. Illi autem re tam insolita in stuporem rapti, non solum ablata restituerunt, sed etiam sui ipsorum dedicationem, pro quodam spoliatorum auctario, fecerunt; illico juratis verbis scelera sua detestantes, ac deinceps victuri ad leges, quas sibi à te præscribi supplices rogabant. Sed & parata huic tuæ charitati in cælo præmia quidam in longè diffito cœnobio moriturus prævidit: qui cum plures horas in extasi jacuisset, tandem sibi restitutus, quid viderit in illo sopore, circumstantibus enarravit. Ductum se, ajebat, in locum omni gloria & deliciis redundantem, & tunc à cœlestibus ephebis

*Florus**anno**1125**Orae**pro suis**delatoribus,**et spoliatoribus:**quos**ad meliorem**vitam**convertit.**Cælestis**gloria**illius**revelatur.*

418 ANNI CISTERCIENS.

recentibus aulæis exornatum. Se verò hujus ornatûs causam ex ductore suo quærentem, audivisse; hac hora in cœlo expectari animam è Claravalle advolaturam cujusdam humilis & mansueti Conversi, idèoque majori apparatu à cœlitibus excipiendam. *Versor & ego inter latrones, qui ex infernali latibulo prodeuntes nihil aliud quarunt, quàm ut me suis suggestionibus veste superne gratiæ despolient. Tu indue me illa charitatis & humilitatis lorica, quatenus victor toties evasisti.*

S. BERNARDUS, s. 2. in cap. jejun. Scindamus corda nostra dilectissimi, quatenus intacta proinde vestimenta servemus. Vestes enim nostra virtutes sunt. Bona vestis charitas, bona vestis obedientia, Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus.

Vestis  
animæ  
sunt  
virtutes.



ANNI